







PARTITIONVM
Theologicarum

DISPUTATIO XXXIIX.

De

MORTE, COR-
PORVM SEPVL-
TVRA, ET STATV
ANIMARVM.

*In inclutâ & Florentissimâ Academiâ Wit-
tebergensi proposita*

PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

Respondente

JEREMIA SLOVATIO STRE-
nicensi Bohemo.

Sumptibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.



V I R I S

*Nobilitate Generis, Prudentia Auctoritate, praeeminentissimis, Arte,
Vsu, multipliciq; rerum experientia consultissimis.*

Dn. JOANNI CZINOVVECZ } Rerum Pub. qua
Dn. JOHANNI VVENCZELIN } sunt.
Dn. M. GABRIELI SVVECHINO } Hradecij
PAUMBERK. } cis albim.

Dn. HENRICO STRZELKA } Neocomij cis Methugium p. f.
} primati dignis.

Dn. JOANNI KOSTELECZKO }
HOLY DE SLADOVVA } Nachodij.
Dn. JACOBO BRZEZIANSKY } C. integerrimis pientissimiq;

NEC NON

V I R I S

Reverenda dignitate, orthodoxias zelo & Ecclesiae cura spectatissimis.

DN. CHRISTOPHORO VEINERO } Ecclesiarum Neocomij cis
Methugium in Bohemia.
Dn. JOHANNI SLOVVACIO } Pohorzeczij in Moravia
gregis Christi Pastoribus
vigilantissimis.

*Dominis Cognatis, olim praceptoribus, Evergetis, Fratri ger-
mano, omnibus fautoribus & patronis suis Extremo
observantiae & honoris conatu prosequendis.*

*Exercitium hoc Theologicum in grati animi testificationem, ho-
noris σημεϊον, suiq; commendationem.*

Strenae instar.

D. D. D.

Respondens:





Ἐπίγραμμα

In

Disputationem de Morte, Sepulturā

Corporum, & animarum statu.

Οὐκέτι ἀνθρώποις πάντων φοβερώτατόν ἔστι
Πότμος: ἀτὰρ ζωῆς εἰσοδος ἐρχομένης.
Αὐτεξῆσι ἦν ῥα πάλαι βροτολοιγὸς ἄσργος,
Nῦν δὲ καθ' ἑαυτὸν ὄλεθε ἔφυ.
Πανθητὸς θάνατος πέλει, ἡμεῖς σώμασι μόνως,
καὶ σμικρὸν, τάχα γὰρ ζήσομεθ' ἔρανοι.

ὁμοδημίας χάριν ἐποίησε.

M. Christophorus Crinesius Schlaccovvaldo
Bohemus, Collegij Philosophici
adjunctus.



A D

ERVDITVM Dn. RESPONDENTEM, POPVLA-
rem suam charissimum.

Dædala lætatur, gratantur AMICE, Camæna,
Harum dum sequeris dulcia castra frequens,
Et scitè, mortemq; , sepulturamq; , animasq;
Tractando certas, læta trophæa ferens
Hic, ubi Leucorifin per amœna vireta salubreis
Albis sacrato à fonte propinat aquas,
Ast opus est, pergas; noli desistere cœptis;
Hæcce enim erunt laudis pignora certa, tua.
Ergò THEULOGIÆ sacros lustrare recessus
Perge, Medusæo & pellere rore sitim.
Munera sic chari cresces in magna PARENTIS,
Et tibi proveniet gloria, fama, decus.

Amoris ergò gratificabatur

Johannes Strzelka Neocomio Bohemus.





ΗΓΕΣΙΑ

NON onyx, nec unio
Perâ refulget in mea, latetque
Sunt opes mihi quoque
Nullæ, pecunijs abundo nullis
Insper, nec aureum
Adest numisma, purpuræque splendor
Quo vobis gratificer
Aut unde, Jani novas calendas.
Quis? Viris Apollineis,
Quos patronos meos ego probavi.
Artisat Deiloque
Mihi facultas pauper est, nec ampla.
Hinc cliens Apollinis
Latus colo DEum, Virosque Doctos.
Dives, atque nominis
Non esse magni conor, ambiove.
Sortis ast meæ statu
Præfente contentus volo manere.
Recreando dulciter
Memet Camœnis suavibus, Theulâque
Durat, est & utilis
Percepta sacris ex bonis voluptas.
Secta, quæ lavat Lacu
Peccata, rasæ Larium, Cohortis
Tunditur sale, ad cruces
Ævi, molestiasque sempiternas.
Quisquis es tuam miser
Amore, Luxu, qui teris juventam

A

Aulicos

Aulicos & appetis,
Virtute spreta forsan, apparatus.
Lubricum recollige,
Iter tuæ vitæ, brevemque finem.
Cogitatio hæc tibi
Adferre plurimum boni valebit,
Quid? quod exigis diem
Hæc lætus, ignorans statum sequentis.
Forsan hoc die jocos,
Sales & insolens seris facetos.
Cras, videto pallidæ
Ne præda fias mortis, ac averni.
Hic ut in malos habet
Jus, sic bonis potest nihil nocere.
Nato, nam DEI fidem
Habens perire non valebit unquam.
Rumpo senium grave,
Vos hinc remorer cura, cur? patroni
Ablego Legumina
Frugum, mei sacri vobis agelli.
Vos colunt mea hæc, atrox
MORS, FVNVS atrum, ficta quæ? VORAGO
His, mihi, benignè sit.
Humanitatis munus est favere.

V. H.

Devotus cultor


JEREMIAS SLOVACIVS!

TYPVS HVIVS DISP. VO
TATIONIS.

Statum hominis post mortem explicantes agimus

1. De morte ubi consideramus

1. Ipsam: cuius consideratio absoluitur interpretatione




Contra eius terrores aviditate: que sunt, quod sciamus mortem nobis converti in

- Lucrum maximum.

2. Eius immediata consequentia: que sunt

1. Luctus.



DISPUTATIO XXXIIX.

De
Morte, corporum sepultura, & statu
animarum.

CONTINUATIO.

Uprà disputatione Octava statum
hominis post lapsum divisus est in
eum, qui est in hac vita: & in ali-
um, qui est post mortem. De illo sufficienter
actum esse arbitramur, hactenus: restat ut de
posteriore hoc paucis quoq; agamus.

Thesis I.

Hunc igitur hominis statum explicaturi, agemus primum
de morte: Deinde de mortuorum resurrectione.

2. De morte acturi, considerabimus prius ipsam: tum
ejus immediata consequentia.
3. Ipsius Mortis *ἡρώγια* absolvitur interpretatione vo-
cis & Rei.
4. Vocis partim derivatio, partim æquivocatio obser-
vanda.
5. Videtur Latinis dici à *mora*, quia omnes nos mora-
tur & expectat: Vel quia nullius moratur conditionem:
Græci utuntur voce *ἡρώγια*, quam ita bono omine dici vo-
lunt nonnulli, quasi *ἀνω εἰς θεόν φερόμενον*: ac *ἡανείν παρὰ τὸ
ἀνω θεῖον* sursum contemplari: quia nos ducit ad Deum. Di-
citur quoque *τελευτή*, quasi *τελετή*, initiatio, scilicet ad vi-
tam æternam.
6. Æquivocationem vocis quod attinet, sumitur in S.
Scriptura proprie vel metaphoricè. Proprie

Vocis deri-
vatio.

Vocis equi-
vocatio.

Mors pro-
prie dicta.

7. Propriè accipitur pro morte corporali, quæ nihil est aliud, quàm animæ à corpore separatio: de qua loquitur Paulus Philipp. 1. v. 23. *Cupio dissolvi, & esse cura Christo.* Dicitur à Johanne Apoc. 20. v. 14. *mors prima, respectu impiorum.*

8. Meraphoricè sumitur vel pro morte spirituali, vel pro æterna.

9. Spiritualis mors vel est fidelium, vel infidelium.

10. Fidelium est duplex: I. Peccati, nempe quoad vigorem, vim sive vitam peccati, quæ mortificatio dicitur Rom.

6. v. 2. *Quia mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo?*

II. Legis, quatenus lex est peccati virtus: illaque vos non amplius arguit: vel ad peccatum irritat. Rom. 7. v. 4. *Itaq; fratres mei, vos quoq; mortificati estis legi in corpore Christi.* Gal. 2. v.

19. *Per legem legi mortuus, ut DEO viverent.* III. Mors mundi: Pius enim mundus est mortuus: Galat. 6. v. 14. *Per Christum mundus mihi crucifixus & ego mundo.*

11. Infidelium sive *ψυχικῶν* mors spiritualis est illa, quam fidei vel animæ mortem dicere possumus, quæ fide, Christo, ejusque spiritu carentes, mortui sunt in peccatis Eph. 2. v. 5.

Unde viventes mortui dicuntur Matth. 8. v. 22. *Sequere me & sine ut mortui sepeliant mortuos suos.* 1. Tim. 5. v. 6. *Que vidua in delitijs versatur, ea vivens mortua est.* Apoc. 3. v. 1. *Novi opera tua, nempe quod dicaris vivere, sed mortuus sis.* Dicunturque in umbra mortis habitare Es. 9. v. 1.

12. Mors denique æterna, est perpetua & sine fine durans hominis damnati in inferno infelicitas & miseria: vocaturq;

mors secunda Apoc. 2, v. 11. & 21. v. 5. De qua loquitur Psal.

34. v. 22. *Mors peccatorum pessima.* Ezech. 33 v. 11.

13. Tot modis verbum Mortis in scripturis sumitur: Juris-

consulti & Politici addunt adhuc alium & peculiarem modum vel speciem, nempe *mortem civilem*, & est eorum, qui ca-

pitate diminuti sunt.

14. Nos in præsentia, jam cæteris significationibus posthabitis, vocabulum mortis in prima & propria significatione usurpamus.

15. De Morte igitur ipsa acturi, videbimus tum ipsam, tum contra ejus terrores *ἀντιδοτα*.

A 3 Defi-

Mors metaphoricè sumta.

Mors spiritualis fidelium triplex.

1. Peccati.
2. Legis.
3. Mors mundi.

Mors spiritualis infidelium.

Mors æterna.

Mors civilis.

- Mors quid sit.** 16. Definimus ergò mortem cum Hasenrefferò hunc in modum: Mors est pœna, humano generi propter peccatum irrogata, corporis & animæ unionem solvens.
- Resolutio definitio- nis.** 17. Resolvitur data definitio in genus & differentiam.
- Genus: pœna.** 18. Genus est pœna. Sic enim legimus Genes. 3. v. 19. *In sudore vultus tui vescaberis pane tuo, donec revertaris in terram, de quâ sumtus es: Qui a pulvis es, & in pulverem reverteris.* Et ibid. Gen. 2. v. 17. inquit Jehova: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedes. Quocunq; enim comederis ex eo, MORIENDO MORIERIS.* Ubi mortis mentio gemina non tantùm propositæ comminationis certitudinem (Gen. 41. v. 32.) sed utramq; mortis speciem, & primam & secundam, designat, quod utraq; futura sit pœna, si homo mandatum illud divinum non observaverit. Videatur prolixè hac de re differens Augustinus, lib. 13. de civit. Dei cap. 12. Tom. 5. f. 721. Et lib. 4. de Trinit. c. 3. Tom. 3. f. 297.
19. Differentia porrò datur duplex: Generica & Specifica.
20. Generica continet duo: 1. Causam, unde primum exorta sit mors; 2. Subjectum.
- Causa mortis propinqua peccatum.** 21. Causa Mortis est duplex: Propinqua & Remota.
22. Propinqua Causa est peccatum. Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransit; quandoquidem omnes peccaverunt.* Rom. 6. v. 23. *Mors est stipendium peccati.* Rom. 8. v. 10. *Corpus mortuum est propter peccatum.*
- Causa remota Diabolus.** 23. Remota causa est ipse Diabolus: ut enim peccatum, ita & mortem in totum genus humanum introduxit; Sapient. 2. v. 24. *Invidiâ Diaboli introivit Mors in orbem terrarum.*
- Deus mortis causa non est.** 24. Nullo igitur modo causa mortis DEUS dici potest: Quippe qui hominem ad imaginem suam creaverat, quiq; ipsa vita est, Gen. 1. v. 27. Et Sap. 1. v. 13. expressè legimus: *Deus Mortem non fecit; nec latatur in perditione vivorum.*
- Subjectum sunt omnes homines.** 25. Subjectum est totum genus humanum. Omnes enim homines peccatores corporali morti obnoxij sunt: Ioh. 23. v. 14. *In ego hodiè ingredior viam universæ carnis.* Rom. 5. v. 12. *In omnes homines Mors pertransit; quandoquidem omnes peccaverunt.* 1. Cor. 15. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Ab

26. Ab hac nihilominus universalitate excipiuntur Henoch & Elias, qui vivi in caelestem beatitudinem sunt translati: nec non illi, qui in adventu Domini vivi deprehensi in momento immutabuntur. 1. Cor. 15. v. 51. *Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur.*

*Excipiuntur qui-
dam Mor-
tis.*

27. Specifica differentia consistit in his verbis: *Corporis & anime unionem solvens.* Per hanc finit mortem Apostolus Paulus Philip. 1. v. 23. *Θηθυμίααν έχω εις τό Αναλύσαι:* Cupio dissolvi & esse cum Christo. Item 2. Timoth. 4. v. 6. *εκαρεθς της αιμας αναλυσεως εφεςηκε:* Tempus resolutionis meae instat.

*Specific
differentia
Mortis.*

28. Dicimus solutionem hanc differentiam specificam constituere: siquidem formalis ratio mortis nihil est aliud, quam separatio animae à corpore: cum vita, testibus Philo-
phis, sit actus animae in corpore: Ergo privatio ejus Mors est, nempe disjunctio animae à corpore.

29. Quae sanè inimica naturae: quippe ejus destructio. Hinc Sir 41. v. 23. *O mors, quam amara est memoria tua homini.* Cujus exclamationis veritatem non impij duntaxat, 1. Sam. 15. v. 32. sed sancti quoque experiuntur: ideoque gloria superin-
dui, quam corpore terreno expoliari mallent, 2. Corinth. 5. Imò & ipse Christus *αναμάρτητος*, id ipsum in votis habuit, Matth. 26. v. 37. 38. 39.

*Mors ini-
mica na-
turae.*

30. Quae cum ita sint, de antidotis contra terrores mor-
tis cogitandum est: Quorum licet plura numerari possint, praestantissima tamen & praeceteris maxime insignia omni-
umque efficacissima duo dantur. Nempè quod certi sumus mortem hanc, utut naturae inimicam, credentibus propter meritum Christi; 1. in suavem somnum, 2. in insigne lucrum, converti.

*Antidotes
contra
mortem.*

31. In suavem somnum, inquam, mors plorum converti-
tur. Quandoquidem Scriptura ita loquitur non tantum de Mose Dev. 31. v. 16. Davide, 1. Reg. 2. v. 10. Act. 13. v. 36. La-
zaro Ioh. 11. v. 11. 13. Verum in universum de omnibus pie beateque in Christo defunctis, Es. 26. v. 20. c. 56. v. 14. Dan. 12. v. 12.

*1. Conver-
titur mors
plorum in
suavem so-
mnum.*

12. v. 11. 1. Theff. 4. v. 13. *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ne contristemini, sicut ceteri, qui spem non habent.*

32. Spes hæc est resurrectionis à mortuis: Quâ semper hujus vitæ miseriam solati sunt Patriarchæ, Reges, ac Prophetæ in veteri Testamento, Hebr. 1. v. 13. 19. maximè verò Iobus cap. 19. v. 25. *Scio quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrecturus sum. Reposita est hæc spes in sinu meo.* Et hoc est, quod Tertullianus habet de resurr. carn. c. 1. *Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum: Quodque repetit Augustinus de Temp. serm. 143. Propria fides Christianorum est resurrectio mortuorum.*

*Mors pi-
rum est
Lucrum.*

33. De altero antidoto, nempe *lucro* loquitur Apostolus Philip. 1. v. 21. *Mihi vivere Christus est: & mors LUCRUM.*

34. *Lucrum* hoc insigne esse diximus: Nam pro peccato si-
ve injustitia, justitiam, Rom. 6. v. 7. pro labore, quietem. Iob.
3. v. 13. 17. Pro bello, pacem, Sap. 3. v. 3. Pro fletu, solatium,
Luc. 16. v. 25. pro corruptione, *ἀφρασίαν* 2. Timoth. 1. v. 10. 1.
Cor. 15. v. 53. 54. pro morte, vitam, Ioh. 5. v. 24. pro extrema
miseria, summam beatitudinem, Apoc. 14. v. 13. consequimur:
Quia enim filij sanctificationis, certo expectamus vitam il-
lam, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam
mutant ab eo, 1. Cor. 15. v. 19.

*Immedia-
ta mortis
consequen-
tia.*

35. Cæterum immediata Mortis consequentia sunt pri-
mùm luctus: & post hinc consolatio.

36. Quando enim fit disjunctio animæ à corpore homo ab
hominibus demigrat. Homine amisso, lugemus. Benè; si, ut
monet Chrysostomus, cum modestiæ decoro. ne indignemur
Domino, qui postquam non abstulit, nisi quod dedit, sua reci-
pit, nostra non abstulit.

Luctus.

37. De luctu ipso loquuntur sequentia dicta; Eccles. 7.
v. 3. *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum convivij.* c. 35.
v. 16. *Fili, de mortuo lacrimas educito: & tanquam res graves passus,
ordire lamenta: sed pro ratione eius, circumtege corpus eius, ne quæ de-
spicias sepulturam eius.* Exemplis quoque sacra Scriptura
plena est. Abraham, Saram conjugem, Joseph cum
fratribus parentem Jacobum; Israelitæ Aaronem
& Mo-

& Moſen luserunt: imò Christus ipſe Lazari amici mortem lacrimis proſecutus eſt *Ioh. 11. v. 35.*

38. De moderando luctu ſequentia dicta noranda ſunt:

Eccleſ. 38. v. 18. Fac luctum pro dignitate eius, diem unum aut duos propter calumniam, & conſolationem accipe triftitiæ cauſi. Item

v. 22. Ne obliſcari (finiendi luctus) non enim eſt reuerſio, & illum non iuvaturus es, & teipſum affecturus malo. *1. Theſſ. 4. v. 13.*

Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.

39. Lugendum igitur ſed moderatè: & poſt luctum conſolandum, uti ſcribit Bernhardus.

40. Faciunt autem ad conſolationem ſepultura corporum & piarum animarum commigratio ad Dominum.

41. Sepultura igitur eſt, quâ exuvia defunctorum, non ſicut brutorum cadavera, abjiciuntur, ſed in locum corporibus honeſtè ſepeliendis deſtinatum, efferuntur, ſubſequenti Christianorum frequente comitatu, qui honeſto, laudabili & pio illo officio, ſuum erga defunctos & lugentes propenſum declarant animum, atq; ita in funera prodeundo, ſepulturas contuendo, terram calcando, finem omnium hominum ſibi in memoriam revocant, honeſtatemq; ſepulturæ & piorum comitatus contemplando ſpem futuræ reſurrectionis concipiunt, & confirmant.

42. Sepultura hæc conſona eſt partim ſcripturæ dictis, partim exemplis.

43. Dicta ſufficiant hæc tria: *Gen. 3. v. 19. Pulvis es, & in pulverem reverteris.* *Eccleſ. 12. v. 7. Revertetur pulvis in terram, unde erat: & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Item cap. 40. v. 1. *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum grave ſuper filios Adami à die exitus de ventre matris eorum, uſq; in diem ſepulturæ, in (terram) matrem omnium.*

44. Exempla dantur quam plurima. Abraham ſepelivit Saram, uxorem ſuam, in agro, quem emerat ab Ephrone, *Genef. 23. verſ. 19.* Joſeph de Arimathia in horto ſuo curaverat ſibi excindi ſepulcrum *Matth. 27. verſ. 60.* Sic

B

omnes

Sepultura.

omnes Patriarchæ & pij Reges suis illati sunt sepul-
cris.

Suntus.

45. Ad has ceremonias sepulcrales requiruntur impen-
sæ: Verùm moderatæ illæ esse debent: & non necessarij
sumtus comprimendi. Quandoquidem illa vera sunt mo-
numenta, non quæ marmore occluduntur; sed quæ pietatis
ac virtutum laudibus nituntur, juxta illud Proverb. 10.
vers. 7. *Memoria iusti cum laudibus; & nomen in iorum pu-
trefcet.*

46. Porro animam hominis immortalem esse, & post se-
parationem à corpore, superstitem manere, asseruimus su-
pra disputatione sexta: Quæritur ergo, quænam sint illius
Receptacula & Mansiones.

47. Alia monstrat Scriptura; alia excogitarunt & addide-
runt Pontificij.

*Mansiones
anima post
mortem,
quas scri-
ptura
ostendit.*

48. Scriptura duas tantùm ostendit mansiones, quibus
animæ defunctorum colliguntur: Salutis & beatitudinis al-
teram; alteram condemnationis. Matth. 16. v. 16. *Qui credi-
derit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, con-
demnabitur.*

49. Piorum igitur animæ juxta sacram Scripturam in
vitam beatam, 1. Sam. 25. v. 29. fasciculum & terram viven-
tium, transmigrant, ubi in manu atq; sinu Dei à laboribus
quiescentes, gloriosam corporum resurrectionem, nec non
plenam æternæ beatitudinis fruitionem, cum gaudio & desi-
derio expectant. Eccles. 12. v. 7. *Spiritus r. deat ad Deum, qui de-
dit illum, Sap. 3. v. 1. Iustorum anima in manu Dei sunt, & non
tangeret illos tormentum.* Luc. 16. v. 22. 25. Lazari anima in si-
num Abrahæ deportatur, & ibi solatiò fruitur. Apocal. 14.
vers. 13.

50. Impiorum contra animæ in locum tormentorum,
hoc est, in infernum descendunt, ubi à morte secunda depa-
scuntur, à verme immortali roduntur, ab igni inextinguibi-
li uruntur; ac diris cruciatibus exercentur. Ignominiosamq;
corporis resurrectionem & perfectum æternæ damnationis
sensum

sensum cum tremore & cruciatu expectant. Luc. 16. v. 22.
Mortuus est & dives & inferno in tormentis est, & cruciatur.
Addatur v. 27. Psal. 49. v. 15. Item 55. v. 16. Esa. 66. v. 24. Marc. 9.
vers. 44.

51. De aliis locis, præter hæc duo, nihil scit sacra scri-
ptura. Sic enim legimus Eccles. 11. v. 3. *Si ceciderit arbor* (hoc
est, si anima hominis à corpore separata fuerit) *ad austrum vel*
ad aquilonem (hoc est, ad dextram vel sinistram: in æternam
lucem & beatitudinem, Col. 1. v. 12. Vel in tenebras perpe-
tuas, & condemnationem, Matth. 8. v. 12.) *in quemcumq; lo-*
cum ceciderit, ibi manebit. Hinc dicitur Danieli morituro cap.
12. v. ult. *Vade & requiesce & stabis in sorte tuâ*, hoc est, in sorte
sanctorum. Act. 26. 18. Col. 1. v. 12. quam David amænitis
nomenclatura depingit, Psal. 16. v. 6. 11. Contrà verò Petrus
de Juda affirmat, ipsum abiisse in locum suum, hoc est, in
foveam Esa. 30. v. 31. Diabolo, Matth. 25. v. 41. Cum omni-
bus incredulis Apoc. 21. v. 8. Paratam. Atq; diversa hæc loca
inter se opponit Abigail in colloquio cum Davide 1. Samuel.
25. v. 29. imò ipse quoq; Christus Matth. 16. v. 16. *Qui crediderit*
& baptizatus fuerit, SALVUS erit: qui verò non crediderit, CON-
DEMNABITUR. Ubi expressè docet Dominus: ut inter
fidem, & incredulitatem nullum dari potest medium: quod
ita nullus sit intermedius status.

52. Hinc Apostolus Paulus (qui omne consilium Dei an-
nunciavit Act. 20. v. 27.) de statu mortuorum rogatus, deq;
ex eo professo differens, ne verbulo quidem purgatorij facit
mentionem: qui alioquin haud dubiè Thessalonicenses
(1. Theff. 4. v. 13.) admonuisset, ut defunctis suis, tantos cru-
ciatus sentientibus quàm citissimè auxiliarentur.

53. Verùm Pontificij duobus hisce locis, Cælo & Infer- *Manfones*
no, quorum illo beati fruuntur, hoc torquentur damnati; *Pontificio-*
non contenti adhuc alia excogitarunt: Limbum & Purgato- *rum.*
rium: quæ sint loca intermedia inter cælum & infer-
num.

54. Tria enim statuunt hominum genera: Primum, *Tria be-*
illo-

B 2

illo-

*minum
gentia
iuxta pon-
tificios.*

illorum qui in caritate perfecti, ac à sordibus immunes ex hac vita discedunt. Alterum eorum, qui vel in Christum nunquam crediderunt, vel in peccatis mortalibus moriuntur. Tertium deniq; istorum, qui quidem in Christum credentes & caritate præditi ex hac vita migrarunt; verum adhuc imperfecti, vel ab omni labe nondum mundati.

55. Primum hominum genus in Cœlum; alterum in infernum recta migrare adserunt: tertium verò in locum quendam intermedium, qui vel Limbus sit vel purgatorium.

56. Limbum duplicem faciunt: unum Patrum: alterum puerorum tam fidelium quam infidelium, sine baptismatis sacramento morientium.

*Limbus
patrum.*

57. Limbus Patrum, ipsorum sententiâ, est primum Vestibulum inferni, ubi Adamum, & reliquos Patriarchas, ideoq; credentes in universum omnes usq; ad Christi descensum ad inferna detentos, indeq; per illum ipsum descensum liberatos & ad fruitionem cœlestis beatitudinis introductos esse, nugantur.

58. Limbum hunc interdum ferè cum sinu Abrahæ confundunt; & nonnulli suburbium Paradisi cum Judæis illum appellare non dubitant.

*Limbus
puerorum.*

59. Limbus Puerorum est, quo, illorum opinione, migrant & detinentur omnes Infantuli sine baptismo exeuntes. Omnes enim tam fidelium, quam infidelium (uti habent verba Jacobi de Paradiso in tractatu de animabus exutis à corporibus) pari sorte judicantur, qui quidem sine pœna sensibili perpetuò ibi victuri sunt, sed facie Dei privabuntur, ex quo pro originali suo puniuntur, non pœna sensus, sed pœna damni; nec aliqua actualia peccata addiderunt: quorum corpora non debent in cœmiteriis sacratis sepeliri. Hactenus ille.

60. Verùm figmentum humanum id esse statuimus, quod neq; manifestis scripturæ testimoniis, neq; ullis rationibus exinde deductis demonstrari potest.

61. Pa-

61. Patres enim Veteris Testamenti quod attinet, ha- *Limbus*
buerunt quidem illi varias promissiones, quarum nonnullæ *patrum re-*
loquebantur de promissa terra Chanaan: nonnullæ de ad- *ijctur.*
ventu Messiae in carnem: ejusq; satisfactione plenaria pro to-
tius mundi delictis; illasq; suis temporibus non acceperunt:
Hebr. 13. Nullo tamen modo inde colligere licet: fideles &
sanctos illos homines, ex hac Vita discedentes, ad aliquam
inferni contignationem abiisse, ac inibi usq; ad Christi post
mortem ad inferos descensum conclusos & detentos fuisse:
Cum contrarium expressis verbis dicit & testatur Scriptura,
nempe illos ipsos per fidem in futurum Messiam salvos &
beatos apud Deum, ideoq; illorū animas post separationem,
in locum beatorum, ab æterno omnibus electis Dei præpa-
ratum receptos fuisse. Sic enim *Sap. 3. v. 1.* legimus: *Iustorum*
animæ in manu Dei sunt, & non tanger illos tormentum. *Eccles. 12.*
vers. 7. *Revertatur pulvis in terram, uude erat: & Spiritus re-*
deat ad Deum, qui dedit illum. Et *Psal. 31. v. 6.* *In manus tuas Do-*
mine, commendo spiritum meum.

62. Christus verò verè ac realiter ad infernum sive
damnatorum locum descendit, ut Satanam vinceret, po-
testatem inferorum everteret, Diabolo omnem vim ac po-
testatem in credentes eriperet: hoc est, ut Apostolus inter-
pretatur, ut triumphum ageret de potestatibus ac princi-
patibus infernalibus, *Col. 2. vers. 15.* *1. Cor. 15. vers. 54.* *Eph. 4.*
vers. 9.

63. Idem quoq; de limbo puerorum statuendum est.
Infidelium infantes nihil ad nos: quocirca illos meritò justo *Limbus*
Dei judicio relinquimus. Fidelium verò parvulos salvos esse *puerorum*
certò scimus. Hos enim pij parentes precibus suis Deo com- *reijctur.*
mendant, nec dubitant quicquam, hæc sua vota ac gemitus à Deo benignissimo misericorditer exaudiri juxta indu-
bitatam promissionem juramento æternæ veritatis confir-
matam: *Amen amen dico vobis, quid petieritis patrem in nomine*
meo, dabit vobis: nec non juxta alteram illam in specie fide-
lium semini factam: Ero Deus tuus & Deus semini tui: Quodq;
recipiat

recipiat Jehova, velle se benefacere in mille generationes his, qui diligunt ipsum: ideoq; & parvulos ipsos sibi afferri velit Messias. *Marc. 18.* Quo vero quia in hujuscemodi casu necessitatis fieri nequit per ordinarium lavacrum regenerationis, fit certo per preces, quæ in fide fusæ omnes nubes penetrant ad altissimum usq; & exaudiuntur, quippe cujus voluntas nullo modo est, ut pereat unus de pusillis istis.

64. Ex quo luce meridiana clarius evadit, ut omnium piorum, ita & infantulorum ante baptismum per mortem temporalem abreptorum, piis interim precibus Deo commendatorum, animas in sinum Abrahamæ ab angelis deportari, in manu Dei esse, ac cum gaudio & desiderio suorum corporum ad cœlestem & æternam vitam ac beatitudinem, resurrectionem expectare: adeoq; purum putum commentum Antichristianum esse de Limbo puerorum infidelium & fidelium.

Purgatorium,

65. Purgatorium dicunt Pontificij locum inferni superioris, destinatum animis eorum, qui pro peccatis mortalibus non plane satisfecerunt, vel cum solis venialibus ex hac vita migrarunt, ideoq; diris flammarum cruciatibus tamdiu coquendi & excoquendi, donec istiusmodi pœnis pro delictis satisfaciant ipsi, vel fidelium vivorum suffragiis, orationibus, elemosynis, aliisque pietatis operibus, cum primis vero acceptabili Altaris sacrificio releventur. *Concil. Trid. Sess. 25. Decret. de Purg. Et Sess. 6. Can. 30. Sess. 22. c. 2. Can. 3. Reinhard. Lutz. Erythropolitan. de somno Christianorum fol. 1726.*

66. Verum idem de Purgatorio hoc, quod de Limbis Patrum & puerorum, statuendum. Somnium est malè dormientis Papistæ.

67. Solis fidelibus tristissimam hanc assignant stationem adversarij. At quid scriptura? Illos testatur, non venire in iudicium: sed jam transisse à morte ad vitam *1. Ioh. 5, v. 24.* & à laboribus suis quiescere, *Apocal. 14. v. 13.* Non ergo torquentur in purgatorio.

68. Deinde annon fideles sunt justificati? Certè id nemo,

mo. nisi qui scripturam negat, negare potest. Dein habentne pacem cum Deo? At verò id Paulus expressè docet *Rom. 5. vers. 1.* Jam cogita: anne sint ἀντιπαρὰ: pacem habere cum Deo: & inferorū cruciatus, aliquot annorum centurias perferre? Anne sint ἀσβῆτα: Justificatum sive justum esse; & pro peccatis pœnas sustinere & satisfacere in purgatorio: & satisfactionem istam esse Justificationis portam. Hoc est, perfectè justificatum esse & adhuc justificatione indigere, id est, non perfectè justificatum esse?

69. Dic etiam: anne in novissimo die ejusmodi homines justī superstitēs futuri, quales hodiè moriuntur, & ad purgatorium damnantur? Vix id negabitur. Quæ igitur erit ratio, quod qui superioribus seculis, quiq; hodiè moriuntur, igne isto sint ustulandi potius, quam illi.

70. Quod autem illi liberi ab hac pœna futuri sint, id satis manifeste docet *Apostolus 1. Thess. 4. v. 17.* ubi testatur, eos in occursum Domini rapiendos per aerem, imò in nubibus, non per subterraneos specus & durissimas purgatorij flammās.

71. Quid multis? Quemadmodum sacra scriptura (ut in præcedentibus dictum) duplicem, tantum locum annotat, nempe Cœlum & infernum, nullumq; intermedium agnoscit viæ & metæ; sationis & messis; laboris & quietis; operis & mercedis; præmij ac triumphī: Quorum illud hujus Vitæ terminis circumscribit disertè. *Rom. 8. v. 18. 2. Cor. 3. v. 10. Gal. 6. Apoc. 14. v. 13. Job. 7.* Quare illud, quando ex hac Vita discessum est, incipit.

72. Adde, quod eadem Scriptura doceat: Purgare peccata, nihil aliud esse, quam remittere peccata: Quod utiq; solius Dei est beneficium *Matth. 2. v. 7.* & non in purgatorio demum acquiritur. Jam quicquid expiationibus vel purgatorij vel suffragiorum adscribitur; id omne Christi merito quod solum nos à peccatis purgat, derogatur, *1. Iohan. 2. vers. 7.*

73. Concludimus igitur cum Augustino: Neutri sunt

sunt orandi, pro neutris est orandum. Qui sunt cum Christo, habent, quod impetrare volumus: qui sunt cum diabolo, his impetrare non possumus. Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse, nisi cum diabolo, qui non est cum Christo,

Errores.

1.

74. Tandem errores hic vitandi sunt. 1. Eorum, qui (ut refert Heraclitus de Nabatheis) mortuorum corpora abjectiora quovis stercore habuerunt, ideoq; non modo plebeorum cadavera, verum etiam ipsorum regum in sterquilinis defodierunt.

2.

75. Secundus Hircanorum, Caspiorum, & Bactrianorum, qui canibus, ad id domi educatis, mortuorum corpora lanianda & devoranda, præbuerunt.

3.

76. Tertius Scythorum (referente Plutarcho) qui cum mortuis Regibus eos, quos in vivis caros habuerant, item pincernas, coquos, ac pellices defodierunt.

4.

77. Quartus Massagetarum Derbicum & Essedonum, qui propinquos ac cognatos suos, cum vel ad multam senectutem, vel quocunq; casu ad mortis vicinitatem pervenissent, jugulatos, laniatosq; & cæsis pecorum visceribus mixtos, magno epularum apparatus comederunt; cramijs auro argentoq; ornatis pro poculis usi.

5.

78. Quintus illorum, qui in curandis funeribus nimium magnos faciunt sumtus.

6.

79. Sextus Epicureorum, qui animam, corporis vinculo exolutam, in auras evanescere statuunt.

7.

80. Septimo, quorundam fanaticorum, qui jejunijs ac insulsis ratiunculis, persuadere alijs conantur, non tantum animam rationalem; sed omnem omnino animam, imò omnem formam post separationem à materia superstitem esse.

8.

81. Octavo Pontificiorum, media loca inter cælum & infernum fingentium.

F I N I S.

99 A 6935

ULB Halle 3
005 360 463




TA 700





GENART VORLAGE
SCHULVE-VALIUS





38



PARTITIONVM
Theologicarum

DISPUTATIO XXXIIX.

De

MORTE, COR-
PORVM SEPVL-
TVRA, ET STATV
ANIMARVM.

*In inclutâ & Florentissimâ Academia Wit-
tebergensi proposita*

PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

Respondente

JEREMIA SLOVATIO STRE-
nicensi Bohemo.

Sumptibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.

